



Mathias ex honesta familia natus, & in omni genere literarum optimè educatus est. Is cum feliciter prima artium & linguarum fundamenta icisset, sese ad academias contulit, & Iurisprudentiae operam dando Legum Doctor creatus fuit. Erat is multarum linguarum callentissimus, atque rara prudentia & singulari facundia praeditus. Hic cum Carolus Imperator intellexisset, eum ad suam curiam recepit, & suum Procancellarium ordinavit. Postea ei Imperij nomine res maximas administrandas commisit, quas ille singulari dexteritate expediuit. Itaque cum Imperator 1536 Genuam Hispaniam reuersurus esset, hunc Heldium Legatum ad Protestantes misit, ut cum his de Concilio, Iudicio Cameræ, & pace publica Imperij transigeret. Tum Heldius primò ad Ferdinandum regem Vindobonensem peruenit, postea sese Smalkaldiam contulit, ubi in principum frequenti consessu 1537, die 15 Feb. suam legationem patefecit, & luculentam orationem habuit, de Concilio, camera, & pace publica. postmodum etiam cum Saxone priuatim egit, & eum admonuit, ne res ciuiles Ecclesiasticis admisceret. Cum autem nullum commodum responsum accepisset, inter aduersae partis principes sanctum foedus procurauit, ut si molestia Catholicis fieret, paratum esset auxilium. Eius foederis Caesarem & Ferdinandum profitebatur auctores. In eo erant Moguntinensis & Salisburgensis Archiepiscopi, Guilhelmus & Ludouicus Bavariae duces, Georgius Saxo, & Ericus ac Henricus Brunsvicenses. Eius rei gratia Norinbergae conuentum, & Heldij opera foedus in annos undecim decretum. Postea Caesar Heldium iterum suum legatum Francofurtum ad Protestantes misit 1539. Verum cum nec ibi transigi posset, Heldius ad Caesarem in Hispaniam redijt, atque ei gratissimus fuit. Cum hoc modo Heldius ob rerum usum in magna passim auctoritate esset, inter eum & Granuelanum aemulatio exorta, quae tandem hunc exitum anno millesimo quingentesimo quadragesimo habuit, ut ipse curia decederet, & priuatus uiueret. In eius locum Ioannes Nauius Lutzeburgius substitutus, quem Granuelanus, tanquam suis moribus magis obsequentem, eo promouerat, Ioan. Sleid.